

EMBLEMA XLIII  
TEMPORI CEDERE.



Metallus iste, vides, dura quem incude gerebat  
Ferdinandus honos gloriaque Hesperia.  
Ostendit quandoque pati, quandoque reddere  
Ultiores scelerum, jure potente, Duces.  
Omnia tempus habent, habet & sua tempora Tempus,  
Cuncta nec ulcisci, nec simulare lecet.

COMMENTARIUS.

**P** Arum fecisse sive profecisse videbimur, dum prudentiam tamquam aliarum virtutum Rectricem Principibus commendavimus nisi eisdem Patientiam quoque, & Tolerantiam in rebus, & temporibus sibi minus latis, ac placidis commendemus. Est enim Patientia, juxta Lactantii (a) Firmiani definitionem, virtus, qua, cum agnitione divinae voluntatis, rovidentiae, sapientiae, bonitatis, justitiae, majestatisque, Deo nos subjicimus ad placidè ferendam quamvis afflictionem, crucemvè ab ipso nobis impositam.

2 Tantique apud ipsum Deum meriti, ut secundum Tertullianum (b), & ejus æmulatorem D. Cyprianum (c), illum velut debitorem habeat, & idoneum sequerem nostrarum injuriarum, & vindictarum efficiat, nullisque non virtutibus se Comitum præbet. Quod agnoscens (fortè ab eisdem edoctus) Aurelius Prudentius (d), sic habet:

Omnibus una Comes virtutibus associatur,  
Auxiliumque suum fortis Patientia præstat.

(a) Lactant. lib. 5. instit. cap. 23.

(b) Tertull. in lib. de patient. cap. 15.

(c) D. Cyprian. de bono patient. Cassian. collat. 12.

cap. 6. & collat. 4.

(d) Prudent. in iycum.

Nul-

Nulla anceps li flamen init virtute sine ista:  
Virtus nam vidua est, quam non patientia firmat.

3 Eaque propter, nihil antiquius, nihil usitatus reperitur apud omnes Philosophos, & Auctores (e), qui vel de moribus, vel de rebus politicis scripserunt, quàm tempus rerum agenda- rum noscendum esse, adverso cedendum, ventique contrarii flaminibus non refrandum; sed patienter ferendum, quod vitari non potest, & etiam inter mala tempora (ut alibi Sidonius (f) dixit) spem bonam, bonaque vota servanda. Verè quippè Comicus (g) dixit: Fortiter malum qui patitur, idem post potitur bonum; & Babrias (h):

Fer fortiter, quicquid tibi ferunt fata,  
Nec tergiversare, haud enim effugis fata.

4 Omnis etenim ira, (ut cum Seneca (i) loquar) omnis indignatio crescit in dolorem, & tormentum sui, nullumque jugum est, quod non arctius premat refractarium, quàm spontè sequentem. Quare benè monuit Horatius (k):

Durum, sed levius fit patientia,  
Quicquid corrigere est nefas.

Eamque solam de fortuna triumphare, non minùs sciè dixit ille (l), qui dixit:

Nobile vincendi genus est patientia, vincit  
Qui patitur, si vis vincere, disce pati.

Cui & alter (m) arridet, qui idem, post Ovidium, consulens, inquit:

Perfer, & obdura, Patientia plurima mollit,  
Quæ nequit humanum corrigere ingenium,

5 Quod planè, cum nullis non hominibus usui esse possit, & debeat, Regum tamen ac Principum animis altius figendum est, quò altioribus ipsi, & arctioribus casibus subsunt, & de plurium salute, qui ex ipsorum prudentia & patientia pendent, periclitantur. Quos, & se se pariter, in perniciem deducunt, nisi tempori & loco actiones suas omnes congruenter adaptent, severitatem comitate leniant, lætitiâ tristitiâ moderentur, prosperos, & adversos casus victrici animi æquabilitate suscipiant, quod vitare pro tempore non possunt, patienter ferant, quod nec ulcisci, nec vindicare, dissimulent, brevem stultitiâ, ut Horatius (n) monet, consiliis suis misceant, in qua oportunè simulanda Dionysius Cato (o) summam prudentiam constituit, inquit:

Insipiens esto, cum tempus postulat, aut res.  
Stultitiâ simulare loco, prudentia summa est,

6 Et denique polypi mentem, juxta vetus (p) Adagium, obtineant, de quo Theognis, & Clearchus dixerunt:

Polypi ingenio mihi sis nate Amphiloche heros,  
Ut temet populo, quemcumque accesseris aptes.

Quod perinde valet ac dicere, ut Noster Salazarius (q) animadvertit, Principem, non unius formæ virum, sed multiplicem, ac multi formem esse oportere, Protheique similem, quem ideò fortè fabulæ narrant, varias formas inducere, & assumere solitum; nam cum Ægypti Rex esset, ad singulorum mores se se effingens, varium se quoddammodo, & multiplicem exhibebat.

7 Unde protheum optimi Principis exemplar esse, docuit Hor. (r) Apollo. Idemque de Tharando Scythiæ fera dicere possumus, quam Phile Græcus Poëta non postremi nominis à Joanne File-saco (s) relatus, & alii apud Causinum (t) enarrant, in colores mille pilos suos convertere.

8 Hadrianus autem Junius (u), ut eundem patiendo, prudenterque cedendo, victorem evadere ostendat, validam ornum pingit, quæ, quia vi ventorum obsistere nititur, ab eadem sternitur: cum contra arundo, alioqui fragilis, quia ei se submittere novit, infracta permaneat, & sic inquit:

Vis

(e) Erasm. pluribus relatis in his Adagiis, & Canonher.

in Aphorism. Polit. 1. tom. pag. 541. & seq.

(f) Sidon. Apoll. lib. 3. epist. 4.

(g) Plaut. in Atinaria.

(h) Babrias extraduc. Rittershusii in Etym. mag. apud

Camerar. 3. tom. pag. 217.

(i) Senec. epist. 85.

(k) Horat. 1. car. od. 24.

(l) Oræus Icone 61.

(m) Schoonhov. Emb. 62. post Ovid. 3. amor.

(n) Horat. lib. 4. od. 12. eccl. 10.

(o) Cato in præc. moral. lib. 2.

(p) Erasm. in hoc Adag. pag.

(q) Salaz. in Proo. cap. 11. num. 63. col. 997.

(r) Horus in symb.

(s) Filesacus lib. 2. select. cap. 6. pag. 35.

(t) Causin. in Polistor. Sym. lib. 7. cap. 110.

(u) Jun. Emb. 43.

*Vis Boreæ obnixas violento turbine sternit  
Ornos; arundo in fracta eamdem despuat.  
Fit victor patiens animus cedendo furori;  
Insiste, Victor, hac viam, & re, & nomine.*

9 Achilles Bochius (x), noster Saavedra (y), & alii Cicerone præeunte, & in illud Phoclidis collimantes:

*Temporibus semper cautus seruire memento;  
Nec restare velis adversus flamina venti.*

Navis utuntur symbolo, cujus prudens rector, vel gubernator, si tempestatis compulsus, eam rectè in portum appellere nequit, vel carbasa contrahit, vel mutata velificatione, ventis obediens, & se pro tempore committens, id efficit, ut mox, eis cessantibus, quò voluit possit feliciter pervenire; illud reapse, quod alibi Æneas (z) apud Virgilium dixit opere complens:

*Mutati transversa fremunt, & vespere ab atro  
Consurgunt venti, atque in nubem cogitura aer.  
Nec nos obniti contra, nec tendere tantum  
Sufficimus, superat quoniam fortuna, sequamur,  
Quoque vocat certamus iter.*

Et magis ad rem nostram Seneca (a), inquit: *Sapiens non uno semper it gradu, sed una via nec se in aliquibus mutat, sed potius aptat, & ut verbo dicam, non cursum eundem tenet, sed portum.*

10 Quo etiam symbolo, ad idem significandum, Venceslaus Romanorum Imperator usus fuit, Octaviano Strada (b) recensente, cum lemmate *Tempestati parendum*. Nosque illud ipsum inter hæc nostra inserere destinavimus, sub his, quæ sequuntur carminibus, licet postea, quia vulgatum, & aliis occupatum, prætermittendum esse censuerimus:

*Cernis, ut iratis agitentur carbasa ventis,  
Oppugnatrices cum ciet Euris aquas.  
Cernis, ut insana plus concrepitante procella,  
Auscultet navis jura severa Noti:  
Si vult submissus sibi, Rex, ut obediatur orbis,  
Ut Tempestati pareat ipse decet.*

11 Dyonisius etiam Barilius (c) eandem doctrinam sub adamantis symbolo tradit, qui constans & infractus, ad quoslibet mallei & incudis ferrei ictus quantumvis graves, persistit: nec secari, nec cædi, vel teri potest, nec ignis viribus incalcescit, unde & nomen ab hac indomita vi apud Græcos accepit, & hæc carmina statim subjungit, Reges, pariter ac Nos facimus, ad eandem patientiam, & constantiam hortantia:

*Adversa usque licet Regem fortuna lacessat,  
Usque licet suas inonet illa minas,  
Obnixus contra, non cedere, sustinet ille  
Cladibus obdurat fortior, atque suis.  
Virtute ipse sua se se involvensque, recentes  
Invictus vires sufficit ipse sibi:  
Qualis, non Adamas ullo contunditur ictu,  
Vique sua ferri duritiem superat.*

12 Nos autem, in eundem scopum tendentes, proprius, atque aptius, ni fallimur, hoc, quod vides, imminentis super immotam, ac validam incudem, mallei figmentum proponimus, quo usus fertur Catholicus ille, & gloriosus æquè, ac prudens Rex Noster D. Ferdinandus, hujus nominis V. qui verè Hispaniam Hispaniæ reddidit, & aditum ad latè patentem ac potentem ejusdem Monarchiam suis Posteris reseravit. Hoc symbolo ostendere volens, paratum quidem se esse, duris quibusque & adversis temporum, hostium, civiumve suorum ictibus perferendis, & opportunè dissimulandis: sed pariter quoque ad eosdem retundendos, & vindicandos, non solum dum mallei ictus, vel ex ipsa percussione duræ, ac constantis incudis retaliatur, sed etiam postea, ubi & ipsa in malleum converti, sive mallei vices exercere commode possit.

(x) Anchinus symb. 136.  
(y) Saaved. Empr. 16. pag. 345. post Cicer. quam vide lib. 1. epist. pen. ad Lentul. & Gasp. Ensi in nucl. pol. pag. 213.

(z) Virgil. Æneid. 5. vers. 19.  
(a) Senec. apud lib. 3. Polit. cap. 5.  
(b) Strad. in Symb. pag. 17.  
(c) Batilius Emblema. 29.

Quod

13 Quod planè symbolum, licet quidam ex Nostris (d) semel atque iterum improbet, & Christiano Principe, & per anthonomasiam Catholico, indignum censeat, quia quamvis Patientia in adversis laudabilis sit, simulatio tamen, vidiçtaque desiderium, & comminatio, Dei legi (e) repugnat, qui eam sibi, justam licet, relinquere debere præcepit, & ut supra cum Tertulliano diximus, se veluti sequestrem injuriarum nostrarum constituit.

14 Adhuc tamen licet in privatis sanctius, consultiusque sit, illatas injurias oblitisci, & etiam si occasio ferat, non retaliare, ad quod Monitum suadendum, eodem hoc nostro symbolo usum reperio Sebastianum Covarruvias (f) cum lemmate, *Sustine & abstine*, & versibus qui hanc patientiam, & abstinentiam commendant in Rege, Regioque munere justè defendi potest, cui semper incumbit. Coronæ, Majestatisque suæ dignitatem, & jura sarta tectaque tueri, excessus, delictaque subditorum punire, & citra ullum odium, atque iram (in quibus dumtaxat ejusmodi actionum peccatum versari potest) quæ temporis parens distulerit, vel dissimulaverit, postmodum, occasione oblata, ultore gladio persequi, & per legitimos tramites vindicare.

15 Quod, tantum abest, ut in se peccatum contineat, quòd potius, qui ita commissi sibi Regni habenas non temperant, in peccatum imprudentiæ, socordiæ, & negligentiae incidere videantur, & vel primum, ac præcipuum omnium Politicorum, Sapientiumque virorum Monitum ignorare, quod (ut supra diximus, & graviter, ultra innumeros alios, docet, ac repetit Cicero (g) *Tempori cedere* consultit.

16 Quod Pindarus (h) in omne re fastigium obtinere meritò dixit; & Hesiodus, inquit: *Observato modum, nam rebus in omnibus illud Optimam erit, si quis tempus observaverit aptum.* Necnon & Lucanus (i), sic ad Calphurnium Pisonem scribens:

*Temporibus servare debet, qui tempora certis  
Ponderibus pensavit, eam si bella vocabunt.  
Milles erit: si Pax, posita toga gestiet armis.  
Hinc fora peccatum, bellantem castra decebunt.*

17 Hisque longè certior sive Magister Salomon (k), absolutè diffiniens: *Omni negotio tempus est, & opportunitas; & quòd magis est, Deus ipse Opt. Max. qui cum nihil non videat, nihil tamen videnti sæpè similis est, & opportuno tempore supplicii tarditatem gravitate compensat: sic Principes, ut Erasmus (l) dixit, edocens, nihil ignorare, multa dissimulare debere, & juxta vetus, & vulgatum illud Lysandri apud Plutarchum (m) Apophthegma, quod jam in Adagium (n) pertransiit: *Si leonina pellis non satis sit, vulpinam induere.**

18 Planè Romani apud Tacitum (o), validam & laudatam antiquitatem, quoties fortuna contradiceret, temporis cedentes, saluti consulebant, Qui & ipse alibi (p) docet: *Omnia scire, non omnia persequi, parvis peccatis veniam, magnis severitatem accommodare, nec pena semper, sed sæpius penitentia contentum, & utcumque dissimulare, Ducis boni Imperatoriam virtutem esse.*

19 Et ei assentiens Polybius (q): *Cum Republica (inquit) vires non patiuntur aleam belli amplius tentari, maturè, & prudenter cum hostibus, vel per se, vel per socios de fœdere agendum, priùs quàm id hostes ipsi penitus nosse possint dissimulato, & prudenter celato ruinae nostræ metu. Et iterum (r) Optimi Principis officium esse, non solum resistendi, sed cedi tempora prospicere.*

20 Hisque expresius, & ad convincendum Horoscium Covarruviam validius Domin. Isidorus (s): *Plerumque (inquit) Princeps justus etiam malorum errores dissimulare voluit, non quòd iniquitati eorum consentiat, sed quòd aptum tempus correctionis expectet, quando eorum vitia, vel emendare valeat, vel corrigere.*

21 Divus etiam Chrysostomus (t) de eadem agens, sic ait: *Permittimus, quod nolentes indulgemus, quia pravam hominum voluntatem ad plenum cohibere non possumus. Platonius quoque Philo Judæus (u) idem ipsum his verbis dilucidius expressit: Nam rerum civilium administratio, res est multimoda, & varia, multas mutationes recipiens personarum, rerum causa-*

rum

(d) Joann. Horosc. Covar. in Emblema. lib. 1. fol. 45.

(e) 61.

(f) Deut. 32. ad Roman. 12.

(g) Seb. Covar. cent. 3. Emb. 78.

(h) Cicer. lib. 4. fam. epist. 9. & lib. 12. ad Artie.

(i) epist. pen. & lib. 5. de finib.

(j) Pindar. in Pythiis.

(k) Lucan. ad Pisonem.

(l) Eccles. 8. 6.

(m) Erasm. in similib. fol. mibi 58.

(n) Plut. in vit. Lysand.

(o) Erasm. in Adag. pag. mibi 350. Saaved. Empr. 43.

ex pag. 285.

(p) Tacit. 11. Annal.

(q) Idem in vit. Agric. cap. 39.

(r) Polyb. de re milit. lib. 10.

(s) Idem Polyb. lib. 3. histor.

(t) D. Isid. 3. sent. cap. 50.

(u) D. Chrysost. in Hom.

(v) Philo Jud. in lib. de Joseph.

rum, sequestrorum proprietates locorum diversitates, & temporum. Sicut Medicis non uno ad omnes morbos utitur remedio, ac nec in uno quidem morbo, si is variet: sed observans intensio- nes remissiones causarum mutationes multa ad salutem variat, nunc hoc, nunc illud experiens: sic opinor, & Republic. moderator debet esse multiformis, & multiplex, alius in pace, alius in bello: aliter se paucis, aliter se multis opponens adversariis: contra paucos constanter agens, multos vero flexuens persuasionibus, &c.

23 Et Papirius Massonius (x), turbulentissimis temporibus certum esse agnoscit, pleraque à Regibus fieri, præter ordinem fasque, quæ tamen inviti faciant, similes rectoribus navium, quos tempestas sæpe à vicino portu, in remotissimos scopulos nolentes rapit.

24 Cui simili, aliud, è re etiam nautica suptum, addere possumus, ex D. Cyrillo (y), sic apud Gratianum in decretis loquente: *Dispensationes rerum cogunt nonnumquam parum quidem quosdam ad debito foras exire, ut majus aliquid lucrifaciant. Sicut enim ii, qui mare navigant, tempestote urgente, navique periclitante anxii quædam exonerant, ut cetera salva permaneant: ita & Nos, cum non habemus salvandorum omnium negotiorum penitus certitudinem, despiciamus ex his quædam, ne cunctorum patiantur dispendia.*

25 Unde plurimi Reges, vel in hac sola temporis observatione, & ut res postulat, motuum animi sui cauta, & prudenti dissimulatione, totum Regnandi, Regendique officium, & artificium constituerunt, ut de Galliæ Regibus Ludovico II. & Carolo VIII. Paulus Æmilii (z), & alii illius Regni Scriptores commemorant, dum filiis suis quicquam latine scire prohibuisse dicuntur, præter hoc unum, *Qui nescit dissimulare, nescit regnare.*

26 Quod & ipsum Sigismundus Romanorum Imperator significare voluit, pro symbolo, ut Strada (a) refert, mundi terrestris globum gestans, cum Imperiali diademate super imposito, & hoc lemmate, *Nescit regnare, qui nescit dissimulare.* Idemque Friderico VI. Imperatori sæpe in ore fuisse Beyerlinchius (b) est Auctor, qui dictum Apophthegma hoc carmine claudit:

*Qui Regnare volunt, multis dormire, sagaci  
Multaque consilio dissimulare solent.*

Et jam hoc in Adagium (c) pertransiit, prout & illud Non reges, qui non teget; ubi eorum Expositores plura alia in ipsorum confirmationem adducunt, & solita eruditione utens Petrus Faber (d), de quo merito Jacobus Cujacius dicere potuit, verè ad asciam factum esse, quicquid dedolavit ille faber.

27 Cum Salomone (e) concludens, Fatui atque imprudentis esse, statim iram suam indicare: callidi autem, ac versuti dissimulare injuriam, quæ ex Christiana caritate alloqui remitti non debuerit, & in opportunum tempus illius ultionem differre, aut iudicibus certè perpendendam committere. Nam ut Seneca (f) Tragicus inquit:

*Professa perdunt odia vindictæ locum.*

Et ut apud Stobæum (g) tradit Aristoteles, qui imprudenter injurias ulciscitur, eas exaggerat.

28 Et hanc Regnandi doctrinam justam, & utilem esse, dolo fraudeque cessante, insinua- re volens Joannes Jacobus Boissardus (h), Emblema quoddam confixit, de Prudentia, serpen- tem in dextera, & larvam in sinistra tenente, insinuare volens, nullum Prudentem esse posse, qui temporis & loco has larvas non adaptaverit, & illud Pindari (i) præ oculis non habuerit:

*Proque loco nunc hunc fieri, nunc convenit illum.*

Boissardi carmina hæc sunt, de Prudentia loquentis:

*Quod gerit hæc larvam, non est ut fallat: at illa*

*Aptat personam casibus, atque locis.*

*Læta est & tristis, quoties occasio poscit:*

*Temporibus vultus commodat illa suos.*

29 Extat etiam apud Joannem Ovenum (k) optimum Epigramma, & ad rem nostram val- dè conducens, in quo sic habet:

*Dissimula, simula quoties occasio poscit,  
Moribus ut morem, temporibusque geras.*

(x) Masson. lib. 2. an. Franc.

(y) D. Cyrill. relatus à Gratiano in cap. dispensationes 1. quest. 7.

(z) Paul. Æmil. lib. 10.

(a) Strad. in symbol. Reg. pag. 17.

(b) Beyerlin. in Apoph. Christi.

(c) Erasm. in his Adagiis, & latè Callist. Remírez in tract. de lege Regia.

(d) Petr. Faber. lib. 3. semest. ex pag. 181.

(e) Salom. Proverb. 12. 16.

(f) Senec. in Medea.

(g) Stob. serm. 20.

(h) Boissard. Emb. 21.

(i) Pined. & Plat. apud Erasm. in Adag. Polypi mente obtine, pag. 344.

(k) Joan. Oven. lib. 1. epigr. 92.

Tem-

*Temporibus qui ritè sapis, servare memento  
Omnibus, ut tempus serviat omne tibi.*

30. In eademque sententiam, post longam disputationem de justa, vel injusta simulatione præhabitam, Tiraquellus (l), Marquez (m), Westonus (n), Raynardus (o), Canonherius (p), Contzen (q), Drexelius (r), Zipæus (s), Marsalaer (t), Matthias Bernegerius (u) latèque Saavedra Noster (x), & Comes Fontanarius (y) omnino legendi, convention pluribus aliis Sacræ Scripturæ, & honorum Auctorum testimoniis, & exemplis adductis. Quæ inter, illud Saulis omitti non potest, qui ut in libro (z) Regum habetur, cum filii Belial eum contemnerent; nec consueta munera largirentur, prudenter, & justè se audire dissimulabat, in tempus oportu- num vindictam reservans. Prout similiter in aliis casibus à Joabo & Absalone factum, ex eis- dem sacris Literis (a) intelligimus.

31 Et in Romanis historiis satis nobilis est illa à Cicerone, Saliustio (b), & Dione (c) rela- ta, de dissimulatione supplicii Marci Crassi, ob nimiam ejus potentiam, & divitias, licet in- ter socios Catilinariæ conjurationis delatus fuerit, delatore ipso in vincula coniecto, ut simula- ret Senatus, calumniosæ ejus delationi fidem habitam non fuisse.

32 Tiberius etiam & Vocula apud tacitum (d), eadem dissimulatione prudenter usi legun- tur; & de Nerone quoque idem Tacitus (e) narrat, tenuioribus, qui sibi canenti, cytharam- que in theatro pulsanti, non plauserant: *Statim irrogata supplicia, Adversus illustres, dissi- mulatum ad præsens, & mox redditum odium.* Quod & Philippus Pulcher in seditiosos à Parisiensibus aliquot, post dissimulationem, animadversione, à Roberto Gaguino (f) & Girardo (g) fecisse commemoratur. Et Carolus VIII. dum rebellantes in Francia Huguenotos, quibus connivere visus fuerat, postea, data occasione, severè ubique occidi, puniri mandavit. Cujus factum, ut refert Petr. Faber (h), Parisinus Præses, publica oratione habita, ea ratione non solum excusavit, sed commendavit; quòd à Ludovico XI. ejus avo illud dicerit: *Qui nescit dissimulare, nescit regnare.*

34 Ex nostris quoque Hispaniæ Regibus plura ejusdem dissimulationis exempla produci pos- sunt, quæ post Marianam Saavedra Noster (i) recenset, sed pro multis illud Ranimiri tetigisse sufficiat, qui, ut præter Nostros, Collenutius (k) recenset, ex Monacho, dispensante Pontifice, Rex Aragonum factus, cum ab aliquibus ex sui Regni proceribus ob equitandi & bellandi imperitiam irrisus fuisset, conceptam ex hac injuria indignationem, patienter primò dissimulavit, & postea, Mauris de- victis, irrisoribus sub alio prætextu in Oscam vocatis, undecim ex primariis illorum securi percussit, hoc Hispanum Adagium submurmurans, *No sabe la Vulpeja con quien trebeja.*

35 Arnoldes etiam Ferronus (l), & ex eo Camerarius (m), invicem nostrum Regem & Imperatorem D. Carolum V. cum Francisco I. Galliarum Rege præstantissimo ejus Antagonista latè comparant, seu componunt, & in illo nostro, hanc calliditatem, & dissimulationem, sive suarum passionum occultationem extollunt: hunc autem apertiore, & clariorem esse concludunt. Quæ quidem omnia satis ostendunt nihil planè esse, quod in D. nostro Ferd. Catholico, & ejus de quo agimus, Symbolo, hac in parte notari possit, cum justa & prudens dissimulatio à nullo non Autore laudetur. Hancque, Mariana (n), & aliis (o) testantibus, ipsi eidem Catholico Regi Joannes Aragoniæ Rex II. ejus pater, sumopere commendaverit, ad capiendam possessionem Regni Castellæ properanti, ratione matrimonii, quod cum Domina Nostra Elisabetha, Catholica Regina, contraxerat, seriò eundem admonens, ut temporj, necessitatique cederet, & interim dum in Regio solio firmiter consederet, amicitiam Marchionis de Villena, Archiepiscopi Toletani D. Alfonsi Carrillo, & aliorum Regni, tunc superbentium Procerum, captare, vel simulare curaret. Quod & ipse, salva Majestatis Regiæ reputatione, summa prudentia, & dexteritate peregit, nobisque, cessante (ut sæpe diximus) dolo malo, illud Juvenalis (p) in Reginantibus æquè justum, ac tutum esse manifestavit:

*Melior qui semper & omni  
Nocte diuque potest alienum sumere vultum.*

Hh

EM

(l) Tiraq. de retr. lig. in Pref. num. 72.

(m) Marq. in gub. Chr. lib. 1. c. 14. §. 1. & lib. 2. c. 7.

(n) Westonus in Theat. vitæ civil. lib. 4. cap. 12.

(o) Raynard. in tr. de equivoc.

(p) Canonh. in Aphor. polit. 1. tom. pag. 838.

(q) Contz. lib. 3. polit. cap. 4. §. 4. & seqq.

(r) Drexel. de medicæ lingua, cap. 6. §. 1. & seqq.

(s) Zipæus in judicio, lib. 3. cap. 17.

(t) Marsalaer in legato lib. 1. cap. 39.

(u) Berneger. ad Tacit. Agric. quest. 182.

(x) Saaved. in Id. pol. pag. 45. 119. 149. 185. cum mul- tis seqq.

(y) Fontaner. in legat. cap. 8. 21. & 22.

(z) 1. Reg. 10. in fin.

(a) 2. Reg. 3. 13. & 20.

(b) Sallust. in Cathilin.

(c) Dio lib. 37.

(d) Tacit. 1. Annal. idem lib. 4. Histor.

(e) Tacit. lib. 16. Annal.

(f) Gaguin. lib. 7. fol. 118.

(g) Girard. lib. 14.

(h) Pet. Fab. d. lib. 3. semest. cap. 13. pag. 181. ad fin.

(i) Saaved. ubi supra pag. 563.

(k) Collenut. histor. Neap. lib. 1.

(l) Ferron. in ann. Fran. pag. 170.

(m) Camerat. 3. tom. subest. pag. 90.

(n) Mariana in Histor. Hispan.

(o) Saaved. pag. 219.

(p) Juvenal. satyr. 3. Similis Claudian. 1. in Ruffin. ibi. Edidit &c.

## SINISTRI CASUS FERENDI, ET CORRIGENDI.



*Tessera dum sortem removet, non lusor in iram  
Ardet: sed doctus providet arte lucrum.  
Aspera quando tibi, Princeps, Fortuna resistat,  
Non vi, non Iris, arte caveto mala.*

## COMMENTARIUS.

**I** **H**IS Prudentiæ, Patientiæ, & opportuni Dissimulationis dotibus, ac virtutibus, quibus nostrum optamus Principem splendere, affinis, ac pedisequa est, esseque semper debet, FORTITUDO, quæ à Cicerone (a), *Animi affectio* definitur, in adeundo periculo, labore doloreque patiendo, & contemnendo & sinistris fortunæ casibus, non solum magnanimiter perferendis, verum, & resistendis, ac corrigendis.

**2** Cujus vestigiis inhærens Seneca (b), eandem, contemptricem timendorum appellat, terribiliæque, & sub jugum libertatem nostram mittentia, despicientem, provocantem atque frangentem. Et Horatius (c), illum demum esse justum, & sapientem virum inquit, qui

*Rebus angustis animosus atque  
Fortis apparet: sapienter idem  
Contrahit vento nimium secundo,  
Turgida vela.*

Et cujus solidam mentem, nec fulminantis magna Jovis magnus concutiat, & (d)

*St fractus illabatur orbis,  
Impavidum feriant ruina.*

Monente quippè Virgilio (e):

*Superanda omnis fortuna ferendo est.*

Quem sequutus Martialis, dixit (f):

*Fortiter ille facit, qui miser esse potest.*

Et Menander (g): *Non omnino concedendum est malis, sed resistendum: sin minus sursum, atque deorsum vita nostra impinget, ac pervertetur.*

Et ut rectè Bias apud Maximum Tyrium (h) admonet, is demum infortunatus est, qui infortunium

(a) Cicer. de invent. § 1. offic. & in Tusculan.  
(b) Senec. epist. 89.  
(c) Horat. lib. 2. od. 10. idem eod. lib. od. 3.  
(d) Idem Horat. lib. 3. od. 3.

(e) Virg. Æneid. 5. v. 710.  
(f) Mart. lib. 11. epig. 57.  
(g) Menand. in Adelp.  
(h) Max. Tyr. serm. 18.

nium suum æquo animo ferre non potest, quia secundum Pyttacum Mitylenæum (i), Prudentium virorum est, ne quid mali fiat cavere: fortium autem, id quod factum est, moderatè ferre.

**4** Undè emanavit lapidum illud Plauti dicitur: *Animus æquus ærumnarum condimentum est, & in suis præceptis moralibus Catunculus (k) prudentissimè monuit:*

*Rebus in adversis animum submittere noli,  
Spem retine: spes una hominem nec morte relinquit.*

Quem prævit Apollodorus apud Henricum Stephanum (l), inquit:

*In miseris nullis labascere convenit,  
Meliora sed sperare semper adfore.*

**5** Et Tacitus (m) consulit, majori animo tolerari debere adversa quàm reliqui: *Fortes & strenuosi etiam contra Fortunam spei insistere, timidos & ignavos ad deliberationem formidine properare.* Josephus (n) etiam idem pulchrè docuit, dum dixit, quod quemadmodum ineptorum est, secunda fortuna nimium efferi; ito mollium est, adversa dejecti, & terri; facilis enim est in utramque mutatio. Quod infirmo ingenio tribuens Ægesipus (o) sic habet: *Infirmi ingenii est, lapsu aliquo summe rei diffidere, cum exiguis momentis subito inclinetur omnia, quæ in bello geruntur.*

**6** Et magis adhuc idem exaggerans Sidon, (p) Appollinar. certum esse ait: *Non minus vitiorum, quàm hostium esse captivum, qui non etiam inter mala tempora, bona vota servaverit.* Et Natalis Comes (q), non contentus quodam loco dixisse, stulti esse, parumque futura prospicientis, in utraque fortuna pro arbitrio ventorum impelli, in alio (r) sic habet: *Fortunæ non est cedendum, quæ sæpè judicio, & ingenio superatur. Quippè cum in tractandis negotiis, non rarè incognitæ & prius occultæ viæ se patefaciant, quæ mox ad optatum exitum ipsa negotia perducunt.* In idem quoque tendit illud Sigismundi Imperatoris Apophtegma ab Ænea Sylvio (s) relatum, qui rogatus, quem virum Regno dignum aprumque existimaret? Eum, respondit, quem neque secundæ res extollerent, neque adversæ deprimerent.

**7** Possemque facilè plura alia gravissimorum Auctorum (t) documenta in ejusdem Thematibus comprobationem expendere, quæ apud eos obvia sunt, qui peculiare libros de Fortitudine, Constantia, Patientia, & Magnanimitate elaboraverunt. Sed prædicta tetigisse sufficiat, junctis aliis supra alio loco (u) relatis, ut nostri intelligant Principes, sibi præceteris has virtutes esse admodum necessarias, cum docente Seneca (x): *Magnam fortunam, Magni animus deceat, Prospera in plebem, ac vilia ingenia deveniant: ac calamitates terroresque mortalium sub jugum mittere, proprium magni viri sit.* Qui & ipse (y) in Tragediis scriptum reliquit:

*Regium hoc ipsum reor,  
Adversa capere. Quoque sit dubius magis  
Status, & cadentis Imperii moles labat,  
Hoc stare certo presius fortem gradu.  
Haud est virile terga Fortune dare.*

**8** Quod nisi faciant: *Impatientes, operabuntur stultitiam, ut in suis Proverbiis (z) Salomon inquit; & concedit sibi Regna facilè pessumdabunt: Quorum Majestas juxta noxiem illam, & semper menti figendam, Livii (a) sententiam) difficiliter à summo frangitur ad medium detrahitur, quàm à mediis ad ima præcipitatur.* Et hoc haud dubiè excidium timere poterit, si eorum Receptoribus valentior omni fortuna animus desit, qui, quæ casus offert, in prudentiam, vertere sciat, & iminentis censeat, quod ipsos probent adversa constantes, quam si celarent secunda felices (b). Nam ut benè etiam dixit Natalis Comes (c) *Inclinatam ac prope cadentem Fortunam, omnia adversa urgent, & impellunt, nisi prudentia succurratur, quæ una plurimum impedit, vel retardat adversæ, & infestæ fortune cursum.*

**9** Ac sanè, ut magni est animi rebus secundis non efferri; ita non minoris, adversis non succumbere, & in utraque fortuna eundem esse. Quapropter Virgilius (d), qui nihil in toto suo opere molitur ineptè, Sybyllam, Delphico furore bacchatam, Ænææ consulentem inducit:

*Te ne cedem malis, sed contra audentior ito,  
Quàm tua te Fortuna sinet.*

Hh 2

Quò

(i) Rittac. apud stobæum serm. 18.

(k) Don. Cato lib. 2.

(l) Apoll. ap. Steph. in Gnomist. Poet. pag. 54.

(m) Tacit. 2. Hist.

(n) Joseph. apud Tyrann. serm. 18.

(o) Ægesip. lib. 4. de bell. Hieros. cap. 2.

(p) Sidon. lib. 3. epist. 4.

(q) Nat. Com. lib. 14. histor.

(r) Idem lib. 5.

(s) Æn. Sylv. ad Com. de diç. Reg. Alf. lib. 4.

(t) Jovian. Pontano, Polianth. Cardan. & Theat. in his verb. Lips. de Constant. & alli passim.

(u) Sup. Emb. 6.

(x) Senec. lib. 1. de Clement. & lib. de Prov. cap. 4.

(y) Idem in Oedip.

(z) Proverb. 14. 17.

(a) Tit. Livius dec. 4. lib. 7.

(b) Tacit. 1. Annal. Sidon. lib. 8. epist. 5.

(c) Nat. Com. lib. 11. Histor.

(d) Virg. Æneid.

10 Quod loci, recte ejus Expositores (e) animadvertunt, ad Palmæ arboris naturam peritissimè respexisse, quæ ut Plutarebus (f), Agellius (g), & alii (b) plurimi tradant, cum ingenio fortium virorum convenit, atque adeo virilis & constantis animi Symbolum extat, quoniam licet ipsam super imposito pondere graviter premas, non deorsum deflectitur, sed sursum adversus illud resurgit, recurvatur ac nititur, premitur, non opprimitur, perinde quasi oneri, vim facienti, resistens.

11 Unde Alciatus Emblema (i) deduxit, quo obdurandum adversus urgentia suadet, sic iniquiens:

Nititur in pondus Palma, & consurgit in arcum;  
Quò magis & premitur, hoc mage tollit onus:  
Fert & odoratas, bellaria dulcia, glandes,  
Queis mensas inter primus habetur honos,  
I puer, & reptans ramis has collige: mentis  
Qui constantis erit, præmia digna feret.

12 Idem quoque Virgilius (k) semel & iterum pugnantes, fortes, & in periculis constantes, atque impeterritos Duces extollere volens, rupis in pelagositæ similitudine utitur:

Magno veniente fragore  
Qua se se multis circum latrantibus undis,  
Mole tener: scopuli ne quicquam, & spumea circum  
Saxa fremunt, laterique illisa refunditur alga:  
Obvia ventorum furis expositaque ponto,  
Vim cunctan atque minas perfert calique marisque  
Ipsa innota manet.

13 Quam similitudinem ad eos, qui constanti animo in Fide Catholica perseverant, deducit D. Cyprianus (l), omninò legendus & juvenibus, ut voluptatum fluctibus obsistere discant, aptat, Hadr. Junius (m), proverbialemque esse docet Macrobius (n), & à Cicerone, & aliis plurimis usurpatam. A quibus illam mutuatus Boissardus (o), hoc Emblema formavit:

Ut Pelagii mediis rupes in fluctibus extans  
Æstum commoti fert bene firma sali:  
Sic vite qui forti animo est, ac mente, procellas,  
Propositaque etiam morte, pericla feret.

14 Horatius (p) autem, eandem in Romanis fortitudinem laudans, & quòd adversis rebus, & afflictis pressi, magis excrescerunt, ac ditescerent, Illicis comparatione utitur, quæ icibus, & ramis amputatis, magis frondescit, crescitque, ita elegantissimè iniquiens:

Duris ut Ilex tona bipennibus,  
Nigræ feraci frondis in Algido,  
Per damna per cædes ab ipso  
Ducit opes animamque ferro, &c.

Ex quo Joachimus Camerarius (q) in eandem rem hoc Emblema deduxit, cum lemmate, Per damna, per cædes.

Cladibus augetur virtus animosa: Bipenni  
Sic illex vires tona subinde capit.

15 Agellius (r), ab Athetarum, qui Panoraciastæ vocantur, imitatione, prudentes admonet viros, ut quemadmodum illi ante pugnam, & in pugna, adversus quoslibet contrariorum icus se præparant, ac præmuniunt: ita hi, contra Fortunæ verbera, contraque insidias iniquorum, mentem, & animum præparent, ne qua in re adversa, aut repentina, imparati improspectivè modo aliquo reperiantur.

Hæctor verò Pintus (s), ut Principes in rebus adversis omni perturbatione vacare debere doceat, in regione aëris altiore nullam esse nubem, infraque turbines, & tonitrua generari considerat: proindeque oportere, sedato eos animo esse, tolerarique aliquando in obscuris hominibus perturbationes ejusmodi posse, in Principibus verò omninò intolerabiles esse, maxime cum ipsi se, ut alio (t) loco retulimus, Tranquillitatis, ac Serenitatis titulis ornent.

Achi-

(e) Cerd. & Pontan. post Erasm. in Adag. Palmam ferre pag. 706.  
(f) Plut. sympos. lib. 8.  
(g) Agel. lib. 3. cap. 7.  
(h) Pier. in Hierogl.  
(i) Alciat. Emb. 36. & Camerar. cent. 1. Emblema. 58. sub Acanto herba, que similiter expressa resurgit.  
(k) Virg. Eneid. 6. & 10.  
(l) D. Cyprian. lib. 1. epist. 3.

(m) Junius Emb. 58.  
(n) Macrobi. lib. 6. cap. 5.  
(o) Boissard. Emb. 48.  
(p) Horat. lib. 4. earm. od. 4.  
(q) Joachim. Camerar. cent. 1. Emb. 25.  
(r) Agel. lib. 13. cap. 26.  
(s) Pint. in Isai. cap. 48.  
(t) Sup. Emb. 8.

Achilles Bochius (u), eandem constantiam suadere volens, foeminam pro simbolo pingit, hastæ insistentem, & scutum illud Palladis, Egida dictum, sinistra manu obversantem, his quæ sequuntur carminibus subter adjectis:

Stat leto inde fessa Comes Constantia vultu,  
Indomitum munita fero latus ense, tenetque  
Egida Lemniaca sudatam incude: nec ulla  
Pertinet insidias, nullis dat terga periclis:  
Sed cunctis immota malis, animosaque semper  
Rebus in adversis, pugnaci prælia dextra  
Exercet, validaque ferox confidit in hasta.  
Hac Duce, per varius casus longosque labores  
Aneas olim factis jaclatus iniquis,  
Italiam profugus Læviniæque Regna petivit.  
Hac Duce Gorgoneos angues Danacius Heros,  
Nec minus Alcides tot monstra ingentia fudit.  
Non hic Lernæi timuit fera colla Draconis,  
Non sævi Diomedis equos, non dira Leonis  
Ora Molorchei, validi nec cornua Tauri,  
Quin stygiis est ausus penetrare in Regna Tonantis,  
Et trahere ad superas captivum Cerberon auras.

16 Noster D. Sebastianus Covarruvias (x), eandem doctrinam, depicto militari aculeo, vulgò Abrojo designat, qui sic formatur, ut quomodocumque cadat, unum cuspidem habeat erectum, cum lemmate, Stabit utcumque cadat, & his carminibus:

El hombre de leal, y sano pecho,  
Que vive sin cuidado, y sin recelo  
De no faltar jamas en dicho, ó hecho,  
Por todo quanto puede darle el suelo,  
Como quiera que caiga, cae derecho,  
Con una punta señalando al Cielo,  
Qual del Abrojo militar constante,  
Poniendo en todo trance á Dios delante.

17 Bolonia denique Valesia Henrici VIII. Angliæ Regis uxor, ut prodit Octavius de Strada (y) (licet Gabriel Simeonis (z) cuidam Franciæ Regiæ hoc symbolum tribuat) Astrum gestabat in medio circuli, quem anguis formabat, graphicè delineatum, cum lemmate, Fato prudentia major, ut significaret, in viros Principes, ac prudentes, nihil licere fortuitis; Quando (ut aliàs inquit Cassiodorus (a) sinistros casus corrigunt, qui præstare prosperrimè consueverunt.

18 Et Hadrianus Junius (b) in hoc ipsum respiciens, consulit, Monarcharum Regumque Fortunæ, figuræ quadratæ appositè comparari, esseque aptissimum symbolum constantis animi viri, qualem depingit Q. Catullum Cicero, quem neque periculi tempestas, neque honoris cura potuit unquam de suo cursu, aut spe, aut metu dimovere. Et iterum (c) Principes similes querui antiquæ, & validis radicibus fultæ, esse vult, ut etiam si de gradu sint exacti, novercantis Fortunæ ludibrio, non patiantur tamen generosos illos spiritus ita frangi, aut pesumdari pro cæcæ sortis libidine, ut quicquam avito Progenitorum suorum stemmate indignum admittant, quomodo Gilimerin Regem Wandalorum fecisse Propicius commemorat.

19 Nos autem, ut eandem disciplinam significatori Emblemate propalemus, Regisque animis insinuemus, hoc, quod vides, ex Ludo Tesserarum Palamedis tabulæ sumpto, quem nos dicimus, El juego de las tablas, eisdem ob oculos ponimus. In quo prudens lusor se ad talorum jaclus patienter accomodat, & infelices in melius reponit, artem pro Fortuna adhibens, vimque alicæ malè faventis frangens, aut dextere saltem temperans, & emolliens, ut latius plura circa huic lusum cumulantem, Daniel Souterius (d) & noster D. Petrus Pantoja (e), post alios, quos referunt, prosequuntur, & satis, eandem hac ipsa similitudine utens, Terentianus (f) ille Mitio, cum Demea loquens, his verbis ostendit:

Placet tibi factum Mitio? Mit. Non si queam

Ita

(u) Boch. symb. 9. pag. 22.  
(x) D. Sebast. Covarr. cent. 1. Emb. 39.  
(y) Strada in symbol. pag. 47.  
(z) Gabr. Simeon. in suis symbol. pag. 177.  
(a) Cassiod. lib. 12. epist. 17.  
(b) Junius Emb. 14. in notis, pag. 90.

(c) Idem Emb. 28. in com. pag. 111.  
(d) Souter. in suo Palamede lib. 1. cap. 15. 23. & 24.  
(e) Pantoja de Aleatorib.  
(f) Terent. in Adelp. Act. 4. Scen. 7. de quo etiam ad rem nos meminit Marq. in gub. Chr. lib. 1. ex pag. 84.

Mutare: nunc cum nequeo, aequo animo fero.  
Ita vita est hominum, quasi cum ludas tesseris;  
Si illud, quod est maxime opus, jactu non cadit,  
Illud quod cecidit sorte, id arte ut corrigas.

20 Qua etiam, ad rem de qua agimus, usus fuit Plato (g), Gubernatores in suis libris de Republica monens, ad id quod sors tulerit, res suas aptare debere, ut in talorum jactu lusores facere solent. Et à Platone edoctus Plutarchus (h), postquam ex tranquillitate animi per prudentiam parta, optimam, & jucundissimam hominum vitam reddi commonefecit, & illa subtexuit carmina:

Negotiis irasci prorsus abstine.  
Nihil morventur, sed si qua delata sunt  
Tibi, commodè tractes, prorsus felix eris.

Sic addit: Quippè cum aleæ ludo comparavit vitam nostram Plato; in qua optandum, ut commodissima facias, & jacta alea iis, quæ ceciderunt, rectè utendum. In his jactus in manu non est nostra. At æquo animo ea, quæ tulit Fortuna excipere, & assignare cuique locum, in quo, quod ceciderit, prosit quàm plurimum, & quàm minimè offendat incommodum eos, quibus dulatum est; id si sapiamus, numeris est nostri, &c.

21 Platonem quoque, & Plutarchum in compendium redigens Erasmus (i), ita habet: Plato confert hominis vitam ludo tesserarum. Quod jactu cadat, non est in nobis situm: at quod cecidit rectè disponere, in nobis est, sic eventus in nobis non est; quod obvenit, id in bonum vertere, nostri muneris est. Et iterum: Quemadmodum quod in tesseris cecidit, id arte & ratione quàm optimè disponendum; ita quod invita accidit, in optimam vendendum partem.

22 Quod & ipsum Basilius (k) Imperator Leonem filium præclarè commonefecit, dum postquam eum docuit Regum, & Imperatorum sortem, rotæ, de qua supra (l) diximus, similem esse, sic subjunxit: Quapropter neque secundis rebus extollere, neque adversi dejicere; sed utraque in Fortuna constans esto, & invariabilis, unum hoc tibi proponens semper benefacere, cetera Deo committe. Neque cum secunda Fortuna uteris, metu adversæ à superba electione retrahere, neque etiam cum adversa spe melioris à præcipite dejectione relevare. Hoc enim exigui animi est, & non Regia virtute submissi, & quod futurum est, videri nequit.

23 Et Dionysius Battillius (m), in hoc ipsum respiciens, ex eodem tesserarum ludo Emblemata confecit, vitam hominis ei similem esse inquit, his verbis:

Judice nempe Deo, sortis sic alea nostræ  
Talorum ut lusu, tessera missa, cadit.  
Ut numerorum ergo, vitæ sic quosque tueri  
Corrigere, qua datur arte, decet.

24 Quam præhivit Guntherus (n), quemdam Romani Imperii Electorem inducens, socios hortantem, ut amissi Chunradi Imperatoris vicem, & dolorem, alio, qui ejus virtutes imitari, aut superare posset, electo, temperarent, & sic loquens:

Nunc igitur (velut cum luditur alea) prudens  
Si qua malè acciderint, ea lusor corrigit arte.  
Sic nos humane lusit quos alea sortis,  
Consilio, fati casum properemus iniqui  
Corrigere, & tanto solatia ferre dolori, &c.

25 Neque ab his valdè distat Heliodori (o) sententia, qua docuit: Prudentium esse, etiam parum prosperos casus, quatenus fieri potest in melius convertere, & multum momenti intermissam unum diem, aut alterum ad salutem afferre, qui prosperos casus præbere solet, quos nullis consiliis homines consequi potuissent. Et pictura tessera super alveolum ejusdem luditalarii, cum Epigraphè, Semper jactatus, semper erectus. Quam Sylvester Petrasancta (p) proponit, ut ostendat, ita viros sapientes stare debere, deesseque in eis ruinæ locum; jactari à Fortuna posse, dejici non posse. Quod & ante ipsum præoccupavit eximius apud Nos vir D. D. Laurent. Ramir. de Prado (q), manum depingens, talum eundem jactans, cum lemmate, Utrumque, & hoc Disticho, illius sensum magis perspicuum reddente:

Dextro si ve cadit, levo seu tessera jactu,  
Consiliis pareat casus uterque minor.

27 Ut sic appareat, Prudentes omnes, Præstantesque viros hoc solum remedium sævientis

(g) Plato de Rep.  
(h) Plut. in lib. de Tranq. & seren. an. pag. mibi 80.  
(i) Erasm. in similit. fol. mibi 33. & 37.  
(k) Basil. Imper. in ex. ad fil. cap. 38.  
(l) Sup. Emb. 5. & 6.

(m) Battill. Emb. 12.  
(n) Gunther. in Ligur. lib. 1.  
(o) Heliod. in hist. Æthiop. pag. mibi 353.  
(p) Petrasancta in symbol. lib. 1. pag. 60.  
(q) D. Laur. de Prad. in Tesser. legal. in initiis.

ris Fortunæ morbis, ac ærumnis advenisse, nimirum, ut animo neutiquam consternamur, sed mente, ac ratione benè composita, ingruentia mala, aut præcavere, & declinare curemus, vel accepta corrigere, & ad minimum redigere, aut, si ne hoc quidem nobis contingat, forti, patienti ac generoso animo, quod evenit toleremus. Nam ut aureis verbis Boetius (r) scripsit, cum semel nascendo Fortunæ jugo colla submittamus, Dominae moribus oportet obtemperare, neque ei leges præscribere, sed ad eadem accipere debemus, ipsiusque flatibus promoveri, vel si cut ii faciunt, qui arbis semina credunt, feraces inter se annos, sterilesque pensare.

28 Seneca (s) etiam, idem monitum tradens, & ornans, & omnes homines generaliter hortans, ut sine querela mortalitatis tributa pendamus, & Deum, quo Auctore omnia proveniunt, sine murmuratione comitemur, ad eodè piè, & Christianè loquitur, ut cum referens Camerarius (t) dicere audeat à D. Paulo imbutum fuisse, cujus valdè familiarem fuisse, multi opinantur. Et tandem paulo post, sequutus Ciceronis exemplum, ita precatur, & Regibus, & Imperatoribus reliquisque Mortalibus precandum inquit:

Duc me Parens, Calique dominator Poli,  
Quocumque placuit: nulla parendi mora est:  
Assum impiger, fac nolle comitabor gemens;  
Ducunt volentem fata, nolentem trahunt:  
Malusque patiar, quod pati licuit bono.

29 Qua constantia, fortitudinesque virtute egregium Ducem adversam Fortunam superare, ejusque leges infringere posse, Livius (u) sub exemplo Leonidæ ostendit, & apertius Valer. Maxim. (x) sic inquit: Nihil aliud est in adversitatibus animi conservare robur, nisi efficere, ut Fortuna sæviens, verecundia ducta, eo quod te deseruerit, in adiutorium tuum præ suo pudore convertatur.

30 Unde & Pyrrhus, vel ut alii volunt Cyncas ejus Legatus, cum Romanorum constantiam & diligentiam cerneret, in novis militum copiis instaurandis, post ingentem cladem paulò ante, eodem Pyrrho (y), victore, susceptam, illorum amicitiam exoptasse narratur, illos, qui in adversis animo non caderent, invencibiles judicans, & sibi videri inquit, adversus lernæam hydram (z) pugnare.

31 Ac planè, qui hoc modo de Fortuna triumphant, majorem gloriam palmamque merentur, quam si nunquam adversus ejus icibus impetiti essent. Nam ut Apostolus (a) docuit: Virtus in infirmitate perficitur, notuimus est illud Ovidii (b):

Que latet, inque bonis cessat non cognita rebus  
Apparet virtus, argiturque malis,  
Scilicet adversis probitas exercita rebus,  
Tristi materiam tempore laudis habet.

23 Quod & Adagio (c) causam dedit: Virtutis occasio calamitas; & Horatio (d) ut diceret:  
Ingenium res  
Adversæ celare solent, nudare secundæ.

Claudio (e):

Explorant adversa viros, perque aspera duro  
Nititur ad laudem virtus interrita clivo.

Joachimo Camerario (f) sub Myrrha, pictura, vel symbolo:

Major in adversis virtutis gloria vera est,  
Uerior ventis Myrrha agitata fluit.

33 Necnon Plinio (g), ut suum Trajanum extollens, sic de eo dicere potuerit: Nam cum omnia ubique secunda merearis, non ne manifestum est, si quid adversi cadat, tuis ludibus, tuisque virtutibus materiem campumque prosterni; cum secunda felices, adversa magnos probent. Quod, ut ibi Justus Lipsius (h) animadvertit, ex Seneca (i) mutuatus videtur, qui in toto illo suo verè aureo libello de Providentia, latè hoc argumentum prosequitur, & tandem concludit, Magnas est vir: sed unde scio, si tibi Fortuna non dat facultatem exhibendæ virtutis. Marcell sine adversario virtus, tunc apparet quanta sit, quantum valeat polleatque; cum quid passit patientia ostendit, &c.

34 Cessat enim (ut aliàs Cassiodorus (k) scripsit) nautarum in tranquillitate peritia, nec nomen præstat artificio, nisi fuerit vis magna periculi. Quod aud dubiè ex Plinio Juniore (l) habuit, qui ita in quadam epistola inquit: Sunt enim maxime mirabilia, quæ maxime insperata, maxime periculosa, quæ grandi sunt subjecta discrimini. Idèd nequaquam par Gubernatoris est virtus, cum placido, & cum

(r) Boet. lib. 2. Cons. prot. 1. post. Senec. in lib. de vita beata cap. 15.  
(s) Senec. epist. 107. ad Lucil.  
(t) Camerat. 2. subc. cap. 53. pag. 228.  
(u) Livius lib. 5. de bello Maced.  
(x) Valer. Max. lib. 3. cap. 7. §. 10.  
(y) Plutar. in Pyrrho.  
(z) Erasm. in Adag. Hydram secas, Pattrit. de Reg. inst. lib. 10. tit. 10.  
(a) D. Paul. Cor. 12. 9.

(b) Ovid. 5. trist. eleg. 5.  
(c) Erasm. in Adag. pag. 567.  
(d) Horat. lib. 2. satyr. 8.  
(e) Claudian.  
(f) Camerat. centur. 1. Emblem. 11.  
(g) Plin. Jun. in Paneg. ad Trajan.  
(h) Lips. in notis ad Paneg. Plin.  
(i) Senec. de Provid. cap. 2. & 4.  
(k) Cassiod. lib. 12. epist. 15.  
(l) Plin. Jun. lib. 9. epist. 26.

turbato mari vebitur; tunc admirante nullo, illaudatus, in glorius subit portum; at cum strident funes, curvatur arbor, gubernacula gemunt, tunc ille clarus, & Diis maris proximus.

35 Et ad hanc laudem & gloriam, quam Regii, ac Magnanimi viri consequi solent, dum se aequè patientes, ac prudentes in adversitatibus habent, non ineptè alludit ille, qui Mare ventis exagitationum pro Symbolo sumsit, cum tunc ejus undæ, quò magis perturbari videntur, eo magis extollantur, & veluti in cœlum, turbationis ac patientiæ suæ præmium petituræ, conscendant. Quod & ipsum, docente Seneca (n), mirè solet hoc spectaculo delectari, & bonos viros, ut confirmentur, concutere, simul tamen vires impertiens, quibus concusioni obstistere possit, ut in arboribus contingere solent; quartum Nulla est (inquit) solida nec fortis, nisi in quam frequens ventus incurSAT, ipsa enim vexatione constringitur, & radices certius figit Fragiles sunt, quæ in aprica valle creverunt.

36 Qua etiam comparatione D. Chris. (o) in eandem rem utitur, & ex illa Joachimus Camer. (p) hoc Emblema deduxit. Ventorum adversis solidatur flatibus arbor: A cruce, & à precibus mens pia robur habet.

Addens ex Sophocle, virorum fortium pectus numquam languescere, & ex Pericle apud Thucydidem, eos optimos viros esse, qui in calamitatibus animo non tristantur; sed re ipsa & operibus maximè obsistunt.

37 Noster quoque nuperus politicissimus Politicus Saavedra (q), in eandem rem plura in locis pluribus tradit, & Lunæ similitudine utens, quæ etiam ubi Solis radiis defecit, ei terga non vertit, sed in ipsum potius alacrior respiciens, ab eodem iterum plenitudinem sui splendoris expectat, sic addit: Tenga, pues, el Principe siempre fijo su Cetro, mirando á la virtud en la Fortuna próspera y adversa, por que en premio de su constancia el mismo Sol divino que, ó por exercicio del merito, permitió su menguante, no retirará de todo punto su luz, y volverá á acrecentar con ella su grandeza.

38 Hujus autem constantiæ, & æquanimitatis nobile exemplum, Cicero (r), nobis in magno illo Philosopho Socrate scriptum reliquit, qui semper hilari ac læto vultu in adversis rebus, ut in prosperis exiit. Idemque, in Tito Anno Milone (s) commendat, in gravi, ac difficili tempore vultum semper eundem, & vocem, & orationem stabilem, non mutatam; ejusque infractum & excelsum animum laudat. Livius (t) quoque inter præcipuas Scipionis laudes enumerat, quod tametsi in Hispaniensi bello plura fuerit adversa perpressus, nullum tamen ei unquam ferox verbum exciderit.

39 Et Cato Minor, ita in eadem virtute resplenduit, ut recensente Plutarcho (u) etiam à Cæsare victus, se tamquam illius victorem haberet. Qui & idem apud Lucanum (x), à Labieno rogatus, ut de sua Fortuna Oraculum Hammonis consulere, ita respondit:

Quid queri Labiene jubet? an liber in armi Occubuisse velim, potius quam regna videre? An sit vita nihil, sed longa differat ætas? An noceat vis ulla bono? Fortunaque perdat

Opposita virtute minas? Laudandaque velle Sit satis, & numquam successu crescat honestum? Scimus, & hoc nobis non altius inferet Hammon, &c.

40 Nostrum etiam Regem Alfonso VI. ab eadem Tolerantia nostri Auctores (y) valdè commendant. Quam quæ Witiza non habuit, in impia verba & facta prorupisse narratur, Deo usque Vicario reverentia, & obedientia detracta.

41 Similemque animi dejectionem, & consternationem in Carolo Burgundiæ Duce acriter reprehendit Cominæus (z), quòd ad Gransonium re infœliciter gesto contristatus, in ægritudinem incidit, solitariusque relinqui voluit, & per hunc morbum ei plurimum mentis, & ingenii decessit. Subjicitque idem Scriptor: In hoc rerum statu, primum esse, ut ad Deum confugiamus, & peccatis veniam precemur, alterum ut ex amicis, quibus plurimum fidimus, nos patefaciamus totos: & animi vulnus, quo affligimur, denudemus.


42 Cui ego aliud etiam pharmacum ex Senec. (a) addo, scilicet, ut qui in multis magisque versantur, animum quoque ad multas ac magnas Fortunæ vicisitudines paratum habeant: Tela quippè prævisa minus feriunt, vimque aufert præsentibus malis, qui futura prospexit, & necesse est levius ad animum pervenire, destitutæ cupiditatis dolorem, cui successum non utique promiseris. Gravis ipsa Fortuna est, quibus est repentina: facile sustinere eam potest, qui semper expectat.

43 Quod & Cato (b) non in eleganter hoc Disticho clausit: Prospice, qui veniunt, hos casus esse ferendos, Nam levius sevit, quicquid prævideris ante. Atque hæc hæctenus de nostro Tesserarum ludo dixisse sufficiat, longè tamen diverso fine, quo ei Vitellium Cæsarem incubuisse Philostratus (c) narrat, inquiens, quòd tesseris ludere numquam cessabat, semper timens ne talorum jactus ipsum falleret, & inter ludum de maximis Imperii rebus, utcumque sors rulerit, disponebat. Soli enim Jovis tali semper feliciter cadunt, ut vetus habet Adagium (d), de cuius sensu & usu Erasm. consulere poteris.

(m) Petrasancta in symbol. lib. 1. pag. 59. (n) Senec. 4. lib. de provid. per tot. præcipue d. cap. 4. (o) D. Chrysost. hom. 73. in Genes. (p) Joach. Camer. cent. 1. Embleu. 17. (q) Saaved. in Idæis pro lit. pag. 115. 224. 231. 245. (r) Cic. 3. Tusc. & 1. de off. Agell. lib. 2. cap. 2. (s) Cic. in orat. pro Milone. (t) Livius lib. 49. (u) Plut. in Carmin.

(x) Lucan. lib. 9. (y) Saav. pag. 245. Rod. lib. 3. cap. 15. Rib. in Princ. Chris. lib. 2. c. 15. Mar. lib. 6. c. 19. M. Mont. lib. 1. c. 4. (z) Com. lib. 7. pag. mibi 536. (a) Sen. de Const. ad Marc. c. 9. & de Tranq. anim. c. 13. (b) Cato in Distich. lib. 2. (c) Philost. de vita Apollon. lib. 5. (d) Erasm. in hoc Adag. pag. 99.

CONSULENDUM IN ARDUIS.



Consilio meliore viget Saturnius Heros. Fulmina dum vibrat, non nisi ducta Diis. Sic Regni cui fama Polo conscripserit arcem, Consulat & doctos, dum parat alta, viros.

COMMENTARIUS.

1 Notum est Sphingem, triforme monstrum, facie puellari, alis volucris, & pedibus leoninis, à priscis fuisse confictum. Unde illud Ausonii (a):



Terruit Aniam volucris, Leo, Virgo, triformis Sphinx; Volucris pennis, pedibus Fera, fronte Puella.

Qua figura Ægyptii (docente, præter plures alios, Synesio (b) conjunctionem virtutum Fortitudinis, & Prudentiæ volebant significare, dum ferina species robur representabat, humana prudentiam, & volucris, hæc per se non sufficere, nisi & ingenium & consilium adsit, quod sciat harum virtutum operationem pro tempore locoque dirigere, & veluti manus, atque alas his, quæ exequi convenit, administrare.

2 Quapropter Prudentiæ & Fortitudinis Monitis, de quibus egimus, præsens hoc, quod ad necessitatem exquirendi sumendique in rebus arduis Consilium, spectat, Regibus, ac Principibus proponi suaderique oportere, necessarium existimavimus. Qui ut omnes uno ore Politici (c) tradunt, ne prudentiæ quidem nomine digni erunt, si hac præcipua hujus virtutis parte, quæ in appetitu acquisitivo alienorum judiciorum consistit, destituantur, & de seipsis ita præsumant, ut ne agnoscant quidem, non minùs certum, quam vulgatum illud Taciti (d) esse: Principem sua scientia non posse cuncta complecti: nec unius mentem esse tantæ molis capacem. Cui mirè Livius (e) arridet, dum dixit: Si de sua unius sententia omnia geret, superbum hunc iudicabo magis quam sapientem, universamque Rempublicam temeritate sua perdet.

3 Et Cassiodorus (f), de prudentia, de qua nos loquimur, agens, & sic elegantissimè & verissimè inquires: Magna est enim infinitaque Prudentia, quam nemo sic assequitur, ut eam non

(a) Auson. in gripho ternario. (b) Synes. in orat. de Regn. (c) Pet. Gregor. de Rep. lib. 24. cap. 7. Contz. lib. 7. pol. cap. 13. Cochier. in thesaur. Aphorism. polit. cap. 23. Marq. lib. 2. cap. 18. Navarrete disc. 1. à pag. 25. Bo- badil. in Polit. lib. 2. cap. 6. ex num. 6. plenè Ego 1. tom. lib. 3. cap. 2. ex num. 4. & 2. tom. lib. 4. cap. 9. ex num. 38. (d) Tacit. 1. & 4. Annal. (e) Livius lib. 44. (f) Cassiod. lib. 8. epist. 9.